

ECLOGA V

MENALCAS MOPSVS

- Me.* CVR non, Mopse, boni quoniam conuenimus ambo,  
tu calamos inflare leuis, ego dicere uersus,  
hic corylis mixtas inter consedimus ulmos?
- Mo.* Tu maior; tibi me est aequum parere, Menalca,  
siue sub incertas Zephyris motantibus umbras 5  
siue antro potius succedimus. aspice, ut antrum  
siluestris raris sparsit labrusca racemis.
- Me.* Montibus in nostris solus tibi certat Amyntas.
- Mo.* Quid, si idem certet Phoebum superare canendo?
- Me.* Incipe, Mopse, prior, si quos aut Phyllidis ignis 10  
aut Alconis habes laudes aut iurgia Codri.  
incipe: pascentis seruabit Tityrus haedos.
- Mo.* Immo haec, in uiridi nuper quae cortice fagi  
carmina descripsi et modulans alterna notauī,  
experiar: tu deinde iubeto ut certet Amyntas. 15
- Me.* Lenta salix quantum pallenti cedit oliuae,  
puniceis humilis quantum saliuca rosetis,  
iudicio nostro tantum tibi cedit Amyntas.  
sed tu desine plura, puer: successimus antro.
- Mo.* Exstinctum Nymphae crudeli funere Daphnin 20  
flebant (uos coryli testes et flumina Nymphis),  
cum complexa sui corpus miserabile nati  
atque deos atque astra uocat crudelia mater.  
non ulli pastos illis egere diebus 24  
frigida, Daphni, boues ad flumina; nulla neque amnem  
libauit quadripes nec graminis attigit herbam.  
Daphni, tuum Poenos etiam ingemuisse leones  
interitum montesque feri siluaeque loquuntur.  
Daphnis et Armenias curru subiungere tigris  
instituit, Daphnis thiasos inducere Bacchi 30